Städtisches
Progymnasium zu Allenstein.

Zu der

Freitag den 4. Oktober 1878

stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

im Namen des Lehrer-Collegiums

ein

Dr. F. Friedersdorff,

Dirigent.

Inhalt:

Königsberg in Pr.
Druck von Longrien & Leupold (R. Leupold).
1878.

1878. Progr. Nr. 0 b

Rectoris F. Friedersdorff de antiquitatis studiis oratio inauguralis.

Qui antiquitati operam dant et quae veteres scripserint vel egerint aut qui factum sit, ut res eorum tum prospere efflorescerent tum misere interirent, pervestigandum sibi proponunt, ii multis hac aetate, cum plerique nihil, in quod inquirant, dignum habent, nisi unde praesens aliquod commodum ad se redundaturum sperant, nugas agere viresque ingenii in rebus obsoletis et ab horum temporum natura abhorrentibus videntur defatigare. haud aliter enim eos dicunt facere, ac qui reliquias urbium et templorum perscrutentur, ut divitias maiorum, quas sub terra reconditas sibi fingant, multa impensa opera in lucem protrahant, neque respiciant, quam facili negotio, si terram ipsam ararent, locupletes fieri possent. nec sola vituperatione multorum ii, qui antiquitati student, carpuntur ac deterrentur, sed voluptatum etiam illecebris, quibus abundamus, a rebus seriis haud ita raro avocantur. nam cum maxima pars hominum, quicquid libuit, adipisci, nummorum acervos quam celerrime congerere, ventri gulaeque quacunque ratione indulgere, denique quicquid est deliciarum brevissimo temporis spatio exhaurire cupiant, quid difficilius quam a tam communi tamque illustri exemplo dissentire, quid ut homine ingenuo dignius, ita rarius?

Nihilo tamen secius omnibus temporibus non defuerunt, qui spreta libidine, vituperatione contempta, neglectis vitae gaudiis in antiquitatis cognitione et scientia sic totos se collocarent, ut divitias, honores, imperia, vel si quid aliud magnum et expetendum videtur, prae his studiis pro nihilo aestimarent. apparet igitur, magnum aliquid et excelsum esse in hoc studiorum genere, cum ii ipsi, qui ingenio, doctrina, morum sanctitate maxime excellebant, ardentissimo ea desiderio sint amplexi. qui si ex rebus vetustate obsoletis leve quoddam et quasi puerile gaudium percepissent, aut si nihil nisi „antiqua mirantes“ eius aetatis, qua florebant, fuissent negligentes, quis non omnes ignominiae notas iis inurendas putaret, quis non ab iis imitandis, tanquam a patriae proditoribus iuvenes praecipue deterreret? sed alia prorsus est horum studiorum natura. quicquid enim veteres admirandi aut egregii fecerunt, quicquid in artibus et litteris aut subtiliter excogitaverunt aut divino quasi spiritu inflati protulerunt, militaria illa facinora, quae tanta ediderunt, quanta nulla unquam tulit aetas, leges illae institutaque, quibus hodie etiam utimur: haec omnia, quo maiore a nobis saeculorum spatio distant, eo videntur excelsiora animosque incredibili quodam et insatiabili desiderio alliciunt.

Nobiles etiam illi antiquitatis duces, opifices, poëtae, principesque in civitatibus viri, si quid in iis fuit vitii, id omne, mortui cum sint, quasi deposuerunt tantaque annorum serie a generis humani infirmitate videntur excepti maioresque quam pro natura humana habentur. hinc efficitur, ut qui vetustatem perscrutantur, in campos illos elysios, quo nisi qui vitam eleganter, sancte, iuste egerunt, pervenire non fas est, sibi videantur descendisse et colloqui cum iis, quos ut conveniret, saepe emori se velle Socratem e vita discessurum dixisse ferunt. et illinc eos haud facile posse avocari, quis mirabitur?

Atque fructus etiam sunt in his studiis, quibus nec opulentiores nec splendidiores possunt cogitari. quos cum omnes recensere longum atque infinitum videatur, paucis iisque maxime egregiis erimus contenti. ac primum quidem humanitatem, quae inde traxit nomen, quod nihil ea homine est dignius, quis ex antiquitatis cognitione, tanquam ex perenni quodam fonte profluere negat? Cicero quidem, cum Atticum suum humanitatem et aequitatem Athenis deportasse dicit, quid vult aliud, nisi illum contemplandis Atheniensium monumentis librisque eorum lectitandis non doctum magis et sapientem quam moderatum evasisse et aequum? adde animi magnitudinem ac honestatem, quae indidem oriuntur. an quisquam fieri posse putat, ut qui per longam annorum seriem praestantissimos cuiusvis aetatis homines animi oculis intueatur, quaeque scite dixerint aut egregie fecerint, ea quotidie perlustretur, non illarum virtutum quasi imaginem quandam apud se fingat, suosque mores ad illorum similitudinem conetur conformare?

Qui autem ita animis sunt comparati, ut excellentissima quaeque maxime colant, ii, si ex scholarum umbraculis in lucem ac pulverem erunt traducti, quae antea imbiberunt, non obliviscentur. itaque cum veteres, quae a maioribus accepissent, cum fide et constantia retinuisse viderint, cumque florentissimos antiquitatis populos ideo spe citius periisse iis persuasum sit, quod sacra iura atque instituta maiorum neglexissent, ipsi quoque, quae a patribus hereditatis loco ad se pervenerint, mores, instituta, leges, deorum religiones pio fidoque animo servabunt. nihil autem gravius, nihil sanctius iis poterit videri, quam patriae amor, cum neminem fere illorum veterum cognoverint, quin se suaque omnia prae patriae salute parvi aestimaret, cum, quidquid admirandum et insigne ab illis sit gestum, ex patriae amore sit natum.

Atque hac quidem aetate, nemo ignorat, quae singuli conemur, nisi antea quae cives universi sentiant, aut qui rerum publicarum sit status, diligenter perspexerimus, neque consilio nec ratione procedere, nec quicquam posse suscipi, quod quidem alicuius sit momenti, quin communi multorum consensu et comprobatione tanquam firmo et stabili quodam solo nitatur. haec ut his temporibus necessario fiunt, apud veteres etiam maximi erant ponderis. nam antiquissimis temporibus, nulla communi inter omnes gentes coniunctione orta, cum suis quaeque natio moribus viveret, haud facile cuiquam veniebat in mentem, se suaque a patrio solo segregare. extra fines gentis nec sermo erat communis nec iura ac ne di quidem ipsi, nullum peregrino cum peregrinis commercium, nulla fides, nulla religio, ut ea demum videatur humanitatis origo et fons, quod certae quaedam exstiterunt civitates, quae sanctissimis legibus praescribebant, ne quis hospitem violaret.

Postea etiam cum mitiores iam facti essent mores, nisi domi atque inter suos nec dignitatis nec honoris cuiquam erat spes: domi affines, sodales, amici latera cingebant ambientium, studiis favebant, bene meritorum augebant splendorem: foris omnia adversa, hostilia, ut ne Hannibal quidem, et odio Romanorum et bellica virtute praeter ceteros egregius, ad bellum Romanum regi extero satis fidus dux videretur. ac ne tum quidem, cum populus Romanus pacatum orbem in ditione teneret omniaque in unius provinciae formam viderentur redacta, alia fuit rerum condicio. cives enim Romani, etsi in remotissimis terrarum regionibus ab omnibus pro maiestate imperii colebantur, tamen, cum patria carere durissimum putarent, ita in provinciis degebant, ut conventibus et societatibus inter se iunctis quasi imaginem urbis patriae exprimerent. inviti in breve aliquod tempus exibant, vel lucro vel gloria ducti; quicquid agebant, aut quae commoda aut qui honores domi inde ad se essent perventura, secum reputabant; exacto magistratus vel imperii tempore impatientes desiderii revertebantur. itaque cum omnes illos veteres singulari quodam modo patria carere sive noluisse sive nequivisse videamus, haud sane mirabimur, quod qui exulatum abierant, ut restituerentur, operam dare non desistebant. omitto Coriolanum, Appium Herdonium, alios, qui armis contra rempublicam sumptis vi ac ferro reditum in patriam sibi munire conabantur: permulti fuerunt, qui, ut Cicero, ne exularent, nihil, quod quidem salva republica fieri posset, inexpertum relinquerent. atque ut redire cupiebant in urbem, ita ne patria interiret, aut damnum aliquod acciperet, ingenti studio nitebantur. hinc proelia Graecorum incredibili animo contra Persarum innumerabiles greges suscepta, hinc Romanorum illa bella et diutina et saepe sine ulla spe prosperi eventus cum Porsena, cum Samnitibus, Pyrrho, Hannibale gesta, hinc urbium usque ad gentis internecionem ferocissimae defensiones, hinc multorum in civitatis interitu mors voluntaria, hinc pro salute communi singulares illae ad mortem devotiones, hinc denique luculentissima cuiuslibet virtutis exempla, quae omnes anni insequentes et exceperunt et ad imitandum sibi proposuerunt.

Atque haec in bello; verum ne in pace quidem ac domi, quae veteres in augendam et illustrandam rempublicam impendebant, nobiscum possunt comparari. quotus enim quisque nostrum est, quin per summum otium et quietem securus inter suos versetur, suis negotiis rebusque privatis intentus, rempublicam administrandam iis permittat, qui aut universi populi consensu ad id munus exsequendum sunt electi, aut quibus regis clementissimi sapientia, ut partem aliquam civitatis regendae susciperent, est imperatum? tanta certe est horum temporum felicitas, ut et ea libertate, qua decet, utamur, quo nihil hominibus est dulcius, et cura ac providentia regum sapientissimorum, quibus non timore subacti, sed pietatis ac religionis vinculis obstricti iam maiores nostri parebant, cum ab externis tum a domesticis hostibus ac perditorum civium seditionibus defendamur.

Nihil huic otio apud veteres simile. illi sive propter aetatem militia vacabant, sive armis positis pacis negotia obibant, foro tamen carere aut a rebus gerendis abstrahi nec volebant nec poterant. quo maiore enim singuli libertate utebantur, eo diligentius erat cavendum, ne respublica aut malorum licentia ac libidine in discrimen vocaretur, aut ambitiosorum cupiditate labefactaretur, aut vulgi levitate et inscitia obiceretur calamitatibus. quae ut boni ac patriae amantes cives impedirent, quam saepe interdiu erat perstandum in comitiis, quam saepe tumultu exorto pervigilandum in armis, sedendum in iudiciis, dicendum ad plebem, sive ut legem aliquam suaderent, sive ut ipsi ab adversariorum criminationibus se purgarent! nec solum consilio, auctoritate, sententia erat opus; res ipsa familiaris ac bona locupletium in publicum conferebantur. in rebus enim adversis apud illos senatus: hostis imminet portis, da, civis, militem, da arma, calceamenta, vestem, stipendium, da socios navales, cibaria cocta; tu quoque, matrona, ex dote conferto! atque in pace etiam: aedilis es creatus, da ludos, bestiarios, forum exorna! tu aliquot ante annos praetor iniquo proelio commisso Iovi Statori templum vovisti: cave, religione neglecta ira deorum in rempublicam sese convertat! — quae si nostri magistratus edicerent, quantas contentiones, quantas invidias motum iri putamus! at apud veteres nemo fere est inventus, qui id genus onerum recusaret. hunc volebant esse patriae amorem, non illum, qui nostrae videtur aetatis, orationibus habendis votisque faciendis egregium; hoc ita facere omnes iubebant poëtae, et antiquissimi et recentes; pro patria mori dulcissimum esse et Homerus et Horatius pariter iuvenes docebant; haec singularis pietatis et amoris praecepta omnes omnium aetatum populi si non amplexi, at certe sunt admirati.

Ac nos quidem Germani, quamquam illorum exemplorum et praescriptorum praeter ceteros fuimus negligentes, tamen non prorsus caruimus iis, qui ea mente veteres lectitarent, ut non verbis laudarent solum, sed rebus etiam imitarentur. nam illis quidem temporibus, cum unum nos populum et quasi corpus esse prope eramus obliti, et cum Gallorum crudeli ac superba dominatione subacti iacebamus, quis acerbius est in hostes invectus, quis ardentiore studio, ut discordiam abiceremus patriamque liberaremus, est adhortatus, quam pauci illi quidem homines docti et antiquitatis studiosi, sed qui ex litterarum studiis cum doctrinam tum animi honestatem et patriae amorem reportaverant? illi iuvenes instigabant, illi, quicquid dicebant aut scribebant, humi iacentis et semimortuae patriae admonebant, illi, si non vindices libertatis, at certe extremi dedecoris ultores esse animis destinaverant. atque paucis etiam ante annis, cum simile periculum ab iisdem Gallis videbatur imminere, quis in communi omnium ardore et studio avidior certaminis, quis in certamine ipso ferocior, quis laborum etiam patientior, quam adolescentes illi, qui literarum universitatibus relictis, cum nomina dedissent, antiquitatis praeceptis se esse imbutos egregia reipublicae opera navata indicaverunt? itaque recte de illis scriptor quidam illius belli haud ignobilis: quam hi adolescentes patriae, libertatis nominisque Germani essent amantes, permultis adverso pectore acceptis vulneribus multoque sanguine profuso demonstraverunt.

Habetis fructus antiquitatis studiis comparatos. non obliviscuntur patriae, qui veteres admirantur, aut quae nunc sint agenda, non curant, nec quae tempus et res postulent, crassis ingeniis negligunt; immo honestiores, alacriores, elatis animis ex prisca antiquitate ad hoc saeculum revertuntur, quaeque egregia adspexerint, ea audendo, patiendo, moriendo imitantur. atque utinam contigat id nobis! utinam qui nostri erunt auditores huiusque gymnasii alumni, quicquid bonum est et honestum amplexentur, vereantur religiones, mores, institutā maiorum, patriam ardentissimo studio ament, et quae nostra disciplina imbuti vera esse cognoverint, per omnem vitam memori animo retineant! nam illud etiam, veritatis esse amantem et quae vera esse tibi persuaseris, ab iis non transversum unguem discedere, unde melius possis discere, quam ex antiquitate? in liberis illis civitatibus nemo philosophus, orator, poeta, quominus de rebus humanis vel coelestibus, quae investigando iuvenisse sibi videretur, apertissime expromeret, vel legibus vel institutis prohibebatur, unde et summum veritatis exquirendae studium et summae inter singulos oriebantur contentiones. nam illi, quae vera perspexissent, non solum disserendo ac disputando cum aliis communicabant, verum vivendi ratione ac moribus exprimebant et ex libris ac scholarum disputationibus in forum atque in publicum transferebant. philosophos quidem illos, qui animi constantiam et virtutem summum dicebant bonum, et ita vixisse, ut res humanas despicere et infra se positas habere viderentur, et cum tempus aut ipsorum voluntas videbatur postulare, voluntaria morte vitam finivisse, quis ignorat? quid? qui civitatibus praeerant, aut leges ferebant, num quae de optima reipublicae forma sentiebant, in utilitatem publicam convertere dubitabant? hinc, cum nemo singulorum licentiae se opponeret, haud ita raro bella civilia atrocissima; sed hinc itidem sapientissimae leges. duae igitur res sunt, quae ex his exemplis iuvenes discent: et fieri non posse, ut quae quis sentiat, per vim et iniuriam aliis obtundat, et decere hominem ingenuum, ne iustitia et veritas pereant, constanti animo et aequo, quantum valeat, se interponere. qui illa mente veteres legent, qui sic animis erunt conformati, eos nonne cuilibet vitae conditioni pares, non ad omne officium exsequendum aptos putabimus?

Proinde ingrediamur deo bene iuvante viam tot saeculorum tam luculentis exemplis illustratam eaque doctrina ac humanitate adolescentium animos instituamus, quae ex antiquitate recte pernoscenda gignitur, cum nihil illis studiis excelsius, nihil ad ingenia excolenda accomodatius, nihil ad mores corrigendos utilius posse cogitari nobis sit persuasum. illam profecto disciplinam adolescentibus saluti, emolumento huic urbi, nobis ipsis honori fore confidimus, ex illa ad patriam quoque aliquid commodi perventurum speramus. nec vero ignoramus, haud parva nos moliri, praesertim cum tantus hominum doctorum, tantus academiarum ac gymnasiorum in Germania numerus, quae nos modo inchoamus, et antiquitus summa cum laude exegerint neque nunc agere desinant. sed id nos consolatur, quod quo uberior est copia eorum, qui ante nos docuerunt, eo maior existit exemplorum multitudo, quae sequare et ex quibus quod potissimum placeat, eligas. quod si omnes, qui sumus huius gymnasii magistri, unanimo et concordi studio tenebimus, haud diffido, fore aliquando illud tempus, cum nos quoque et discipulorum multitudine ac nobilitate disciplinae cum clarissimis illis scholis, quibus iure Germani praeter ceteras gentes gloriantur, et habebimur et erimus comparandi.

Quaestionum Solonearum particula altera.

De
insula Salamine Solone auctore ab Atheniensibus expugnata.

Scripsit **Henricus Begemann**, Dr.

Priore harum quaestionum particula*) quoniam nuper Plutarcheae Solonis vitae, utpote in qua consistere credendum sit quasi fundamentum historiae Solonis vere construendae, quoad ejus fieri posse videbatur, qui essent fontes, quae auctoritas, denuo indagando eruere atque constituere sum conatus: nunc ad res ipsas tractandas progressurus primum haud alienum esse putavi inquirere in Salaminis insulae, quae Solone et auctore et duce facta esse fertur, expugnationem, de qua qui judicia his annis protulerunt, maxime a vero aberravisse mihi visi sunt. quae cum inter omnes, quae ad Solonem pertinent, res secundum ipsas leges saepissime a rerum scriptoribus vel narrata vel commemorata sit: re vera quomodo se habuerit tradi magis magisque desita est. namque quod istius insulae expugnatio et gravissima fuit amplificandis fortunis opibusque Atheniensium, quippe qui antea vi classibusque facillime a mari intercluderentur, et aptissima ad celebrandam gloriam Solonis, quippe qui aliquo modo expugnationis particeps fuisset: factum est, ut caligine quadam obduceretur, quam ne nunc quidem homines docti satis removerunt. quod vere me dicere facile concedes, si ea memineris, quae de insula Salamine expugnata in egregio illo de rebus Graecis libro Ernestus Curtius scripsit. elegiae enim Soloneae reliquiis ipse quodammodo excitatus et percussus de Solonis laudibus grandi quadam et sublimi oratione usus identidem disseruit ea, quae quin perpaucis probentur non dubito, quam ob rem ab Ernesto de Leutsch (philol. v. XXXI. p. 144. sq.) non ita leniter vituperatus, ut ea satis mutaret, ne in quarta quidem editione anni 1874. (I. p. 304.) a se impetravit.

Atque unus qui exstat primarius, ut ita dicam, ac Solonis ipsius aetate ortus rerum Salaminiarum fons est ea, quae servata est, illius carminis pars, quod quidem Solo composuit, ut cives ad bellum contra Megarenses renovandum excitaret. inde igitur cum in causam ingredimur, jam velut in ejus vestibulo observamur exortam quaestionem, num quae vulgo feruntur re vera ex illa Solonis elegia orta sint. namque ex distichis, quae dicuntur, quattuor, ex quibus elegiam Salaminiam constitisse rerum scriptores tradiderunt, olim Niebuhrius (vorles. üb. alte gesch. I. p. 344.) unum ac quidem id, quod Plutarchus primum fuisse narrat, subditum esse judicavit, quod nuper Leutschius l. c. p. 137. denuo monuit. est autem hoc:

αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος,
κόσμον ἐπέων ᾠδὴν τ' ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.

atque profecto, ut non dicam haec per se inepta esse, quis erat qui Soloni crederet, ex insula ab hostibus occupata Athenas venisse praeconem? quid, quod Salamine cum praeconem venire necesse esset Salaminium, tamen is, qui advenit, 'Αθηναῖον sive 'Αττικὸν se nominans Athenas patriam, ut ignominiam fugeret, alia patria commutare ardenter cupere sese affirmat, ne in numero τῶν Σαλαμιναφετῶν ab hominibus et fama haberetur? neque vero fieri poterat, ut ἴομεν diceret is praeco, qui ipse Salamine profectus Athenienses, ut bellum inirent, commovere studeret (cf. Hermann, lehrb. der griech.

*) edit. diss. Gottingensi et progr. Holtesmindensi a. 1875.

antiq. I. p. 339. n. 4.) ergo ab eo, de quo agimus, disticho ut Solo carmen Salaminium ordiretur, fieri potuisse justo jure Niebuhrius negat. quodsi nihilo setius et Niebuhrius et Leutschius, illos versus a Solone utique ortos esse rati, ex alio quodam ejus carmine, quo ad Salaminiam elegiam respiceret, eos desumptos et ab eis, qui Solonem se praeconem simulantem carmen recitasse fingerent, elegiae Salaminiae praescriptos esse conjecerunt, id quonam argumento vel indicio nitatur equidem non video. contra ob quas causas hi versus ad illam elegiam non pertineant, ob easdem a Solone eos omnino non esse factos judico. neque igitur aliud quidquam pro certo proponendum esse videtur nisi illa verba esse „prooemii cujusdam, quo“ postea „Soloneum carmen narratum sit.“ ceteris autem versibus (v. Bergk, poët. lyr. gr. Sol. fr. 2. 3.), qui quin ab ipso Solone compositi sint non est cur dubitemus, Solo Atheniensibus ipsorum ignominiam turpitudinemque vehementer exprobrat et ut ad eam tollendam statim insulae expugnandae causa bellum inirent adhortatur. quod ipsum cum totius carminis quasi argumentum fuisse jure sumamus, et Salaminem Solonis temporibus ab aliis ita fuisse occupatam, ut Atheniensibus dedecori esset, et Solonem ipsum cives, ut ad maculam delendam eam expugnarent, adhortatum esse e carminis Solonei reliquiis cognoscimus. neque autem aliud quidquam inde comperitur, nisi quod constitisse carmen e centum versibus et Σαλαμῖνα inscriptum fuisse auctores quidam tradunt (Plut. Sol. 8. Suidas s. v. Σόλων. Eudoc. p. 387.). praeterea χαριέντως illos πάνυ πεποιημένους fuisse Hermippo haud dubie auctore (vid. spec. I. p. 10. et 27.) Plutarchus addit et Polyaenus (1,20,1) eos ἀρήια ᾄσματα dicit.

Jam vero quamnam ob causam Solo civibus insulam ab aliis occupatam probro duxerit cum quaeritur, illud haudquaquam inter auctores discrepat, si quidem referunt, Athenienses cum bellum antea de insula Salamine contra Megarenses male gessissent, de victoria desperantes, ne omissum renovaretur, lege lata prohibuisse. capite enim ab eis sanctum esse traditur, ne cui ut renovaretur ad populum ferre liceret. quod quoniam narrant cum Plutarchus (Sol. 8.), Diogenes (1,46.), Justinus (2,7.), Frontinus (strat. 4, 7, 44.), Polyaenus (1, 20, 1.), alii, tum maxime Demosthenes (19, 252.), quo antiquiorem scriptorem tradidisse Solonem, ut insula expugnaretur, effecisse non invenimus, talem legem Solonis temporibus exstitisse Athenienses ipsos existimasse satis apparere mihi videtur. nihilo tamen setius eam exstitisse nostri homines (v. Prinz, de Sol. Plut. font. Bonnae. 1867. p. 3. sq.) negaverunt, cum tantam ignominiam ea contineri putarent, quantam Athenienses unquam sibi intulisse cogitari non possent. atenim similes leges, quibus quidquam ne quis ad populum ferret prohiberetur, etiam adultis Athenis haud ita raro perlatas esse satis constat (v. Thuc. 2, 24. 8, 15. — Schaefer, Demosth. I. p. 185. Boeckh, staatshaush. I. p. 194. ed. I.). etiamsi igitur ea lex, qua tanta se ignominia Athenienses affecerunt, in alia ulla republica bene temperata futurum non fuisse ut rogaretur concedo, tamen fieri sane potuisse putaverim, ut quod florentissimis quidem rebus de turpitudine securi in se admiserunt, id eo tempore, quo vel maxime res publica labefactata erat, cum suo dedecore facerent. ergo quod Demosthenes quamvis turpiter Athenienses fecisse credidit, equidem, etiamsi insignis quaedam turpitudo eo continebatur, tamen eos fecisse non negaverim. neque igitur quin illa lex, qua de agitur, Solonis temporibus fuerit, omnino dubitandum esse mihi videtur.

Solo igitur, ut bellum de Salamine insula in Megarenses renovarent, cum cives contra illam legem commovere studeret, carmine componendo ad poesim confugit, quod quidem illo tempore haud ita insolitum fuisse olim jam Grotius (gesch. Griechenl. übers. v. Meissner II. p. 71.) monuit. poësis enim tunc locum obtinebat solutae orationis, qua gentes humanitate politiores ut ad alios ita ad componendos, qui ad rem publicam bene et utiliter administrandam pertinent, libellos nunc utuntur. ad id vero ipsum, quod Solo voluit, efficiendum, cum civium animi incitandi atque inflammandi essent, ut ardore aliquo percussi legem, qua singuli capitis poena tenebantur, omnium paene consensu removerent atque tollerent, carmen multo plus valuisse soluta oratione quis est, qui neget?

Sed cum de vindicanda insula non modo ad populum ferre, sed omnino verba facere (νόμον ἔθεντο μήτε γράψαι τινὰ μήτ' εἰπεῖν. Plut. Sol. 8. θάνατον ζημίαν ψηφισαμένων, ἄν τις εἴποι κομίζεσθαι. Demosth. 19,252.) omnes lege prohibitos fuisse auctores narrarent, ne carmine quidem Solo cives, ut bellum inirent, adhortari sine magno suo periculo potuisse quibusdam visus est. itaque quomodo carmen in lucem ita protulerit, ut poenam quam maxime vitaret, magna opera alii alia excogitaverunt. alii enim Solonem carmen recitantem, ne supplicio afficeretur, insaniam simulasse, alii, ut sacrosanctus videretur, pro praecone se gessisse narraverunt. Hermippus vero, cujus auctoritatem Diogenes et Plutarchus secuti sunt, has duas, quae exstabant, relationes in unum ita conjunxit, ut Solonem insania simulata praeconis nomine carmen in foro Atheniensibus recitasse diceret (Plut. Sol. 8. Diog. 1, 46. cf. part. I. p. 9. sq.). quae quidem res quam absurda sit comprobare, quoniam parum credibilia et a Plutarcho et a Diogene tradita esse satis alii docuerunt, supersedere me posse puto. neque magis quod aut pro praecone se gessisse*) aut insaniam simulasse dicitur, fusius tractandum est, quandoquidem Demosthenes, quo nemo aut antiquior aut fide dignior de hac re scriptor facit mentionem, Solonem id ipsum periculum, quod utraque ratione effugere studuisse fertur, forti animo subiisse plane ac dilucide memoriae prodidit, cum dicit l. c.: τὸν ἴδιον κίνδυνον ὑποθεὶς ἐλεγεῖα ποιήσας ᾖδεν. in quibus vocabulum ᾖδεν, quo carminis recitatio significatur (cf. Aristid. v. II. p. 361. Dind.: τὰ μὲν εἰς Μεγαρέας ἔχοντα ᾆσαι λέγεται et Plut. Sol. 4: ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν) non nimis est premendum, siquidem verbis ἐλεγεῖα ᾄδειν formula quaedam videtur contineri. neque magis illud miraberis, quod ipse Solo carmen a se factum pronuntiasse dicitur, si eodem tempore Thespidem fabulas, quas composuerat, ipsum egisse memineris. ac vero neque qua ratione usus sit neque quo loco factum sit, certius atque accuratius compertum habemus. unum tantum constat, quod quidem scire plurimum nostra refert: rem prospere successisse ita, ut Athenienses Solonem auctorem secuti lege, qua prohibebantur, sublata contra Megarenses et bellum renovasse neque eo prius destitisse, quam in perpetuam insulae possessionem venissent.

Sed de eis, quae disputavimus, inter plurimos certe homines doctos convenit. at in summa disceptatione versantur ea, ad quae nunc pergendum est. quaeritur enim et quo duce expugnata sit insula et quo tempore et qua ratione. a Plutarcho igitur, qui sicut ceteri omnes scriptores antiqui ante leges a Solone latas Salaminem expugnatam esse sumit, duae de ipsa expugnatione relationes praebentur, quarum prior haec est. Solonem belli ducem creatum auctoritate Pisistrati collegae, quippe cui persuasisset, ut ipse quoque bellum renovandum censeret, maxime esse adjutum. ambos igitur una ad Coliadem pervectos esse eo tempore, quo mulieres Atticae ibi Cereris diem festum agerent; inde eos Salaminem nuntium misisse, qui se transfugam simulans Megarenses adhortaretur, ut mulieres et inopinatas opprimere et captas auferre conarentur. interea autem ipsos mulieres abduxisse eorumque vestimentis induisse juvenes armatos, qui tanquam mulieres ibi saltarent; itaque Megarenses, cum feminas oppressuri advecti essent, ab Atheniensibus muliebri veste tectis interfectos, deinde Salaminem insulam defensoribus nudatam facile expugnatam esse. jam vero haec prior Plutarchi narratio quanti sit facienda si quaeritur: ea probabilis non est non modo ob eam causam, quod uno velut ictu id bellum transactum esse dicitur, de quo antea Athenienses desperaverant, sed etiam quia Pisistratus una cum Solone rem gessisse narratur, falsa admodum judicanda est. neque enim fieri potuit, ut Pisistratus, quippe qui anno 527. a. C. n. senex mortuus (Thuc. 6, 54.) anno fere 600. natus sit, eo tempore, quo insula expugnata esse et traditur et putatur, ante leges a Solone latas (a. 594. sqq.) expeditionis ullius particeps esset**). non ille igitur ante leges latas aut in bello Salaminio gerendo ducem aut in perferendo auctorem Solonem adjuvare potuit. accedit vero ut nemo praeter Plutarchum Solonem rei Coliadensi interfuisse tradidit nisi Polyaenus (1, 20, 1.), qui quidem, cum ceteris in rebus eadem ac Plutarchus referat, nescio quem Plutarchi vel Hermippi auctorem secutus Solonem solum illum dolum commolitum esse nisi propter temporum rationem narrasse non videtur. quae cum ita sint, permulti alteram relationem a Plutarcho eis, quae postea Athenienses facere solebant,

*) hanc fuisse alterius narrationis vetustiorem formam apparet cum e versibus illis subditis: αὐτὸς κῆρυξ ἦλθον κτλ. tum e Plutarcheis verbis: ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθου. apud Diogenem eam paulo immutatam invenimus, cum scripserit: ἀνέγνω διὰ τοῦ κήρυκος κτλ., quibus Bernhardy (grundr. d. griech. lit. edit. 3. II. p. 514. et 469.) haud recte usus est.

**) Voemelius (exerc. chronol. de aetate Solonis et Croesi p. 19.) praeter Pisistratum tyrannum et anni 669. archontem alium tertium ejusdem nominis posuit, quod minime probari potest. — cf. quae Grotius dixit l. c. II. p. 72.

probatam (ἔοικε δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ καὶ τὰ δρώμενα μαρτυρεῖν. ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προςέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προςφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον . . . . ἐκ γῆς προςφερομένοις. πλησίον δὲ τοῦ Ἐνυαλίου τὸ ἱερόν ἐστιν ἱδρυσαμένου Σόλωνος. Plut. Sol. 9.) veriorem judicaverunt. hac enim altera narratur Solo solus belli dux, cum oraculi Delphici jussu heroibus Salaminiis sacra fecisset, unam navem quingentis voluntariis complevisse, qui clam ad insulam appulsi navem Megarensem exploratum missam oppressissent. quam eandam Atheniensibus completam cum ad urbem in insula sitam misisset, ipsum cum peditibus ab altera insulae parte Megarenses aggressum esse. itaque factum dicitur, ut cum Megarenses contra Solonem pugnam ingressi essent, Athenienses quingenti urbem insulae caperent. haec quidem cum per se verisimiliora sunt, tum sane ea, quam Athenienses observasse dicuntur, consuetudine confirmantur. tamen quod et Plutarchus Solonem a Pisistrato cum popularium animos incitantem tum hostes vincentem adjutum esse narrat et alii auctores a Pisistrato solo bellum aliquod contra Megarenses gestum esse referunt, id omnino neglegi non potest. itaque quae tradita essent explicari non posse nonnulli judicaverunt, nisi ita ut Salaminem insulam a Solone impetu improviso atque inopinato expugnatam postea ab Atheniensibus amissam a Pisistrato iterum captam esse censeremus. qua ratione a Bulwerio (Athens p. 138.) proposita, a Dunckerio (gesch. des altert. IV. p. 167. ann. et p. 295. sqq. cf. O. Mueller, Dor. I. p. 178. Curtius l. c. I. p. 648. ann. 137.) approbata nuper Prinzius (l. c. p. 6. sq.) et Bohrenius (philol. v. XXX. p. 187.) difficultates, quae exstarent, tolli posse demonstrare studuerunt. contra Thirlwallius (gesch. Griechenl. übers. von Schmitz II. p. 26.) et hanc eorum, qui duas expeditiones factas esse opinarentur, rationem criticae, qua nunc uteremur, arti aptam esse negavit et Solonis contra Salaminem expeditionem posteriore quam quo vulgo putaretur tempore factam esse censuit.

Hae tam contrariae sententiae de ea, qua de agimus, re his annis in medium prolatae sunt. ac quoniam qui postremi de ea disputaverunt, duas Salaminis insulae expugnationes, alteram Solone alteram Pisistrato duce factam, a rerum scriptoribus confusas esse judicaverunt, hanc prius tractare haud ineptum videtur esse. qua in re — id quod recte quidem Thirlwallius monuit — a via ac ratione nunc probata discedere eos, qui difficultatis tollendae causa eandem rem bis factam esse censeant, neque aliud facere quam eos, qui ob eandem videlicet causam duos ejusdem nominis viros fuisse ponant, praeteriens hoc loco commemoro. quae autem argumenta omnino ex eis, quae sunt tradita, ab istis allata sunt, ea deinceps recenseamus necesse est. namque si forte nullum, quod eo perducat, indicium in libris exstare apparuerit, non dubito quin nemo istorum viam repudiandam esse non confiteatur.

Atque unam rem ad sententiam suam confirmandam permultum valere isti arbitrati sunt. Plutarchus enim in Sol. c. 12., postquam scelus quod dicitur Cyloneum pluribus exposuit, ita scripsit: ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις. quae verba sic interpretati sunt: dum haec geruntur, Athenienses Nisaeam et Salaminem iterum amiserunt. atenim haec explicatio minime ferri potest. nam verba, quae sunt ταύταις ταῖς ταραχαῖς, non pertinent ad eam solam quae antecedit sententiam, ut ταραχαὶ sint judicii institutio et Myronis accussatio, quippe quibus rebus ipsis turbas magna certe ex parte sedatas esse Plutarchus affirmaverit: referenda ea potius sunt ad totam quae antecedit narrationem, ut scelere Cyloneo quae orta erant turbae dicantur ταραχαί. an priusquam illa re tranquillitas quaedam civitati recuperata esset, Salaminem ab Atheniensibus primum expugnatam esse judicas? immo turbis ex scelere Cyloneo ortis factum erat, ut insula a Megarensibus occuparetur. itaque illa de quibus agitur verba, si id, quod isti volunt, eis continerctur, ita vertenda aut adumbranda erant: intra illud tempus, quod intercessit ab acropoli a Cylone occupata ad Alcmaeonidas a Myrone accusatos (ταύταις ταῖς ταραχαῖς), Athenienses Nisaeam et Salaminem bis (αὖθις) amiserunt, quod recte se habere ne quis dicat non metuo. quid enim? permirum nonne esset, si Plutarchus, cum Lacedaemoniis arbitris pacem factam esse in c. 10. narrasset, in c. 12. insulam iterum amissam esse dixisset, quoniam hac pace bellum in omne tempus transactum esse et Plutarcho persuasum est neque quisquam his diebus negabit. quid, quod antea pugnas de insula ortas copiose narrans eam expugnatam iterum amissam esse ne uno quidem verbo commemoravit? verumenimvero hac re aut scriptorum aut scribentis perturbatio indicaretur tanta, ut eis ullam fidem habere prohibitus esse mihi viderer. si quis igitur illis verbis ita nitatur, ut opinionis commentum aliquod ab arte critica vel maxime alienum comprobare velit, is mehercle sperare non potest fore ut se alii sequantur.

Quae cum ita sint, aliam vocabuli αὖθις explicandi rationem olim Plassius (die griech. tyran. I. p. 183. ann. 5.) secutus est. is enim vocabulum αὖθις ad ipsam tantummodo auctoris orationem spectare putavit et Plutarchum, quippe qui in vitis describendis non semper temporum ordinem servaverit, nihil ea voce addita significare voluisse nisi de insula expugnata jam antea mentionem se fecisse moneret. quae sententia quamquam nec Prinzio aut Bohrenio nec mihi placet, cum nullum quo probetur exemplum afferri possit, tamen recte Plassius cognovisse mihi videtur, vocabulo αὖθις hoc loco non singularem quandam rem significari, sed Plutarchei generis dicendi quiddam proprium contineri. namque Plutarchus illa particula praeter necessitatem abundanti usus est eodem modo, quo a Romanis haud ita raro „rursus“ (tridui viam progressi rursus reverterunt. Caes. b. g. 4, 4. cf. ib. 6, 3. b. c. 3, 93. etc.), a nostris saepissime „wieder“ orationi addi solet, ut oppositio quaedam inter duas, quae narrantur, actiones earumque vicissitudo magis eluceat. quod verum esse ut intellegatur, Plutarchi nonnullos, quorum numerus facile augeri potest, exscripsi locos et quidem ita comparatos ut αὖθις particula verbo postposita sit. ὅτι (sc. ἡ γαστὴρ) τὴν τροφὴν ὑπολαμβάνει μὲν εἰς ἑαυτὴν ἅπασαν, ἀναπέμπει δ'αὖθις ἐξ αὐτῆς. Coriol. 6. ἐκείνοις συνέτυχε τότε παρ' οὐδὲν ἐλθόντας ἀπολέσθαι διαφυγεῖν αὖθις ἀπροσδοκήτους τόν κίνδυνον. Camil. 8. ὁ διδάσκαλος . . . . ἐξῆγεν αὐτοὺς ἡμέρας ἑκάστης ὑπὸ τὸ τεῖχος ἐγγὺς τὸ πρῶτον, εἶτ' ἀπῆγεν αὖθις εἴσω γυμνασαμένους. ib. 10. ἐξέπεσον αὖθις οἱ πολλοὶ τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας, quae pertinent ad ea quae antecedunt: ἐδυσωποῦντο τὴν ἀρετήν καὶ λόγον ἀλλήλοις ἐδίδοσαν ὡς ἐκεῖνον ἀποδείξοντες. Coriol. 15. praeterea conferas velim quae Hertleinius disseruit (zur literatur des Xenoph.) in annal. phil. Fleckeisen. a. 1867. vol. 95. p. 475. quod cum ita sit, non dubito, quin etiam eo quo de agitur loco vocabulum αὖθις ita interpretandum sit, ut nihil aliud significetur nisi Athenienses et Salaminem et Nisaeam, cum in dicionem suam aliquando redegissent, eo tempore, quo ex scelere Cyloneo civitas turbata esset, rursus amisisse. ac tantum abest, ut altera insulae amissio priori opponatur, ut notio amittendi, quae inest in vocabulis ἀπέβαλον et ἐξέπεσον, obstet notioni possidendi vel occupandi, quae etiamsi non ipso verbo addita tamen legentium animis cogitatur. ergo bis Salaminem insulam ab Atheniensibus vi et armis recuperatam esse hoc loco non demonstratur.

Satis mihi multa verba fecisse videor de ea ut ita dicam vocula, qua ad probandam sententiam suam non pauci falso usi sunt; restat de universo loco ut pauca addam. ac primum quidem si verba ταύταις ταῖς ταραχαῖς ad ea quae dixi recte referuntur, Plutarchus et is quem secutus est Salaminem insulam ante bellum Solone auctore ortum aliquamdiu in Atheniensium dicione ac potestate fuisse sunt opinati. quod quidem recte num fecerint, infra quaeretur; sed ad eam in qua versamur quaestionem magis pertinet, quod Nisaeam Salamini adjunxerunt, ut Nisaea non minus quam Salamis Atheniensium aliquamdiu ante idem bellum fuisse dicatur. quod factum esse cum cogitari omnino nequeat, quoniam ipsorum emporio ab Atheniensibus occupato bello de possessione insulae gerendo desistere Megarenses coactos esse apparet, hac re quid de omnibus his verbis judicandum sit satis indicari putaverim. tantum enim abest, ut illa quidem, quae Cyloneae narrationi quasi aliena interposita sunt, derivata sint ex integro quodam antiquarum rerum fonte, ut ex Hermippi mente orta sint, quem tam sagacem scriptorem quam plurima posset ratiocinatione quadam excogitare iisque res traditas exornare studuisse harum quaestionum part. I. iterum ac saepius argumentis mihi videor probasse. is Salaminem, cum res et Atheniensium eo quod dicitur Cyloneo scelere turbarentur et Megarensium Theagene tyranno florerent, ab his occupatam esse — nescio an recte — et ratiocinatione conjecit et dignum putavit, quod prius omissum Cylonearum rerum narrationi insereret.

Alter vero locus, quo ei quibus repugno opinionem suam confirmari arbitrati sunt, est Justini 2, 8., a quo Prinzius (l. c. p. 16.), id quod jam antea Dunckerus (l. c. IV. p. 167. ann.) cognovisse sibi visus erat, distincte ac perspicue duas insulae expugnationes discerni judicavit. sed ne hoc quidem jure. Justinus enim in c. 7. Solonem insaniam simulantem carmine recitato effecisse narrat, ut

Athenienses bello contra Megarenses renovato insulam Salaminem expugnarent. et haec sunt ultima capitis 7. verba: „omniumque animos ita cepit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret.“ deinde in c. 8. ita pergit: „interea Megarenses, memores illati Atheniensibus belli et deserti (veriti al.), ne frustra arma movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri, naves conscendunt. qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidiis locat“ etc., et sequitur narratio ejusdem doli, quem Plutarchus Hermippum secutus Solonem una cum Pisistrato ad Coliadem commolitum esse narrat. primum igitur tantum abest, ut insulam Solone duce expugnatam esse ille dicat, ut bello Solone quidem auctore renovato Atheniensium eam omnino factam esse narret. deinde quod particula „interea“ ea, quae de Pisistrati dolo sequuntur, eis annexa sunt, quae de Solone belli auctore antecedunt, hoc vocabulum idem esse ac „postea“ i. e. „alio bello exorto“ jure dici minime potest. immo vero siquidem id in narratione scriptoris admodum neglegentis multum valere eique magnam vim tribuendam esse censueris, „interea“ ad ea ipsa quae proxima sunt commemorata recte refertur, ut id tempus significetur, quod inter carmen recitatum et insulam expugnatam intercessit. medio igitur bello si ea quae narrantur accidisse particula „interea“ affirmari tibi persuaseris, illa quae exscripsi bene congrunut cum hisce exstremae narrationis verbis: „Pisistratus paulum a capienda urbe afuit“, quibus bellum illo dolo confectum esse haud dubie negatur. deinde verbis, quae sunt „ne frustra arma movisse viderentur“, satis demonstratur, capite 8. de eodem bello, quo in exstremo capite 7., non de alio agi. namque mulieribus captis fieri poterat, ut bellum, quod gerebant, non frustra gererent; fieri non poterat, ut bellum, quod frustra gesserant, perfectum in aliud mutarent. nihil igitur restat, quod ab istis sit, quibus repugno, nisi verba „memores illati Atheniensibus belli et deserti“, quibus si — id quod minime licet —, neglecta „interea“, particula „quondam“ addatur, forsitan in istorum sententiam interpreteris. atque miror, quod isti bellum Atheniensibus (sc. a Megarensibus) illatum et desertum intellegunt id, ad quod Megarensibus inferendum Solonem cives incitasse et quod Solonem ducem Megarensibus devictis confecisse ipsi statuunt. quid, quod Megarenses memores belli prioris alterum bellum non indictum eo conflasse dicuntur, quod mulieres Athenienses noctu opprimere conabantur? itaque haec verba, si modo aliquid veri in eis inest, intellegi non possunt nisi ita: Megarenses cum a bello cum Atheniensibus de Salamine orto aliquando nimium relaxavissent, se in hostium fines non sine aliquo commodo suo antea ingressos esse recordati (v. p. 12.) denuo bellum acrius gerendum in Atticam transferre constituerunt. quae cum ita sint, quod Justinus Pisistratum bello Megarensi rem quandam gessisse refert, dignum illud quidem judico, quod paulo infra recenseatur; sed tamen nunc satis habeo docuisse, ne apud Justinum quidem, nisi quis verbis traditis quasi vim fecerit, duplicis Salaminis insulae expugnationis indicium inveniri.

Alia igitur suae opinionis testimonia quoniam isti afferre non potuerunt, in eis, quae tradita sunt, nihil exstat, quo insulam bis captam esse ut putemus impellamur. immo quicunque scriptores de hac re egerunt, unam omnes expugnationem insulae fuisse rettulerunt. quam ob rem ipsi illa, quam et supra laudavimus et semper servandam esse profitemur, historiae via ac ratione usi duabus non sumptis difficultates, quae supersint, tollere studeamus necesse est. quod ut fiat, jam quaeritur, num re vera in eis, quae tradita sunt, quidquam causae et momenti insit, cur adducamur, ut Solonem et Pisistratum una ac conjunctis quasi viribus insulam expugnasse arbitremur. nam si forte contra apparuerit, unum tantum sive Solonem sive Pisistratum ab eis auctoribus, quibus certa fides habenda sit, belli de Salamine contra Megarenses ducem fuisse tradi: nihil sane superit, quo quis, ut duas expugnationes factas esse statuat, omnino commoveatur.

Atque hanc quaestionem instituturi ab eadem re proficiscamur, de qua modo disseruimus et quam praeter Justinum etiam Aeneas Tacticus (4.) Frontinus (4, 7, 44.) Plutarchus (Sol. 8.) Polyaenus (1, 20, 1.) exhibent, cum referunt Megarenses, mulieres Atticas sacra facientes oppressuros, insidiis collocatis ab Atheniensibus deletos esse. quod quidem cum Justinus aliique Eleusine factum esse narrent, in errorem inciderunt, quia feminarum sacra, de quibus agitur, non Eleusine, sed Halimunte ad Coliadem fieri solita esse Plutarchus et Polyaenus recte docent (Hermann, lehrb. d. griech. antiq. II. § 56. n. 20.

